

docuisse de duplici communionem, quae nobis est cum Christo, videlicet de spirituali et ea, quae est secundum carnem, et addunt eam etsi imperuestigabilis sit, tamen veram et substantialem copulationem esse piorum et corporis Christi, sed sine hypostatica vnione. Allegant dicta veterum. Irenaeus inquit:

5 „Paterna lux transfunditur in Filium, vt ex Filio propagetur in nos.“<sup>56</sup> Et Cyrillus dixit: „Christum in nobis habitare non solum per dilectionem, sed etiam participatione naturali.“<sup>57</sup> Et illam corporalem communicationem cereae, quae alteri massae cereae affunditur et vnitur, comparat. Simul vero eam vnionem corporalem praecipue in coena mystica veteres contrahi dicunt. Non

10 litigamus nunc ex professo cum entusiasta Silesio,<sup>58</sup> qui spreto ministerio impudenter ex fontibus Serueticis tales comminiscitur fanaticos afflatus, deificationes et substantiales transfusiones. Sed tantum his pharmacis parum prudenter ex istis lacunis petitis, primum oppono articulum de veritate humanae naturae in Christo.

15 I. Corpus Christi, sicut mille loci veterum testantur, ab-[19:]ductum est a nobis. Ergo nulla pars substantiae ex illo nobis infunditur. II. Nonne repugnat haec quasi metaphysica imaginatio ipsi naturae et essentiae personae Christi? Persona enim est substantia indiuidua et incommunicabilis. Quare nihil substantiale ex corpore Christi deciditur et nostro adiicitur. III. Nullis testimoniis diuinis hoc doceri potest. Nam inhabitatio nullam commixtionem substantialem ponit. Propositio coenae est locutio sacramentalis, vt paulo post dicemus. Dicta etiam de manducatione carnis Christi sunt intelligenda de interiori spirituali renouatione, non de transfusione reali carnis, sicut eodem in loco dicitur: „Caro non prodest quicquam“<sup>59</sup> et Paulus aperte ponit distinctionem,

20 cum inquit: „In Christo habitat diuinitas  $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\kappa\omega\varsigma$ “,<sup>60</sup> id est realiter, in aliis vero tantum effectiue. IIII. Respondeant huic argumento. Certum est promissionem euangelij etiam notam fuisse patribus ante Christum natum et beneficia promissionis integre ipsis donata, sicut argumentatur Stephanus.<sup>61</sup> Iam coniunctio piorum cum Christo est pars iustificationis, quae nominatur sanctificatio, necessaria omnibus illis, qui haeredes vitae aeternae futuri sunt, et hanc adeptam esse patres non minus perfecte, quam nos vox diuina euidenter docet: „Abraham vidit diem meum“<sup>62</sup> etc. Ederunt ex esca spirituali, sed patribus non potuit aliquid communicari corporaliter de natura humana Christi, quae nondum erat assumpta. Ergo illa vera corporalis vnio vel transfusio nulla est. Temporis enim interuallum, politia et symbola sacramentorum descri-

35

<sup>56</sup> Vgl. Irenäus von Lyon, *Adversus haereses* IV, 20, 2, in: PG 7, 1033 (FC 8/4, 158,1–4).

<sup>57</sup> Cyrill von Alexandrien, *In Joannis evangelium* X, 15, 1, in: PG 74, 341. (Pusey II, 542, 8–11).

<sup>58</sup> Gemeint ist Caspar Schwenckfeld von Ossig in Niederschlesien. Zu seiner Lehre von der Vergottung der Menschheit Christi nach der Auferstehung durch reale Mitteilung der Gottheit vgl. Maron, *Individualismus und Gemeinschaft*, 52–66.

<sup>59</sup> Joh 6,63.

<sup>60</sup> Kol 2,9.

<sup>61</sup> Vgl. Act 7,38.

<sup>62</sup> Joh 8,56.